



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 395. Usque Ad Annum 428

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117794

§. 40. Populum erudit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66042](#)

Sæculum IV. reprehensibilis vitæ erant, examinabat,
A. C. 399. suadebat, ut jejuniis se exercerent, si quas
Hom. 15 in
1. Tim. ad
5. 14. voluptatibus deditas videret, atque ut
 balneis, & superfluo corporis cultu ab-
 stinerent; aut eito ad secundas nuptias
 transirent, ne suis moribus Religioni Ca-
 tholicæ probro essent. Mulieres enim,
 inquit: si a marito liberatae sint, nec to-
 tas se Deo mancipent, otio, obtrectationi,
 curiositati, aliorumque negotiis, nibil ad
 se spectantibus, se dedunt.

§. XL.

Populum erudit.

Pall. p. 47. **S**anctus Chrysostomus populum in suis
 Concionibus admonebat, ut officio
 nocturno interesset, nempe viri, quibus
Hom. 13. in per diem Ecclesiam adire non vacabat,
Ep. ad Hebr. foeminas vero domi manere jubebat, &
Mor. tantum de die in Ecclesiam venire.
Hom. 26. in Semper, ait: Dei meminerimus tunc ve-
et. Mor. ro maxime, quando animo tranquillo su-
 mus, id est, boris nocturnis, nam de die
 multis rebus turbamur. Et alibi: Non
 ideo facta est nox, ut tota somno, & otio
 perdatur; id nos artifices, aurigæ, mer-
 catores suo exemplo docent, id Ecclesia Fi-
 delium, media nocte surgentium, nos mo-
 net; vos quoque surgite, pulcherrimum
 stellarum ordinem considerate, profundum
 naturæ silentium, & quietem perfectam.
 Tunc anima purius cogitat, levior est, &
 ad

ad cœlestia aptior. Tenebræ, & silen- Sæculum IV.
 tium ad compunctionem invitant; dum A. C. 399.
 omnes homines in lectis dormiunt, quasi in
 sepulchris, finis mundi imaginem præbent.
 Ad viros dico, & ad mulieres: Flectite
 genua, gemite, orate! si liberos habetis,
 hos quoque e somno excitate, & domus
 vestra nocte Ecclesia vobis sit, si ob tene-
 ritudinem vigilare nequeant, jubete, ut
 unam, alteramve orationem recitent, &
 dormiant; sic tamen interrumpendo so-
 mno assuescent. Ejusmodi documenta
 pigris Clericis non sapiebant, quibus quo-
 tidie tota nox dormiebatur.

Non minor S. Joanni cura fuit de *Pall. p. 47.*
 retundendo divitum fastu, eisque mode- *homil. de inf.*
 rationem, & humilitatem commenda- *alt. to. 6.*
 bat. *Quid vobis causæ est,* inquiebat: ^{723.}
ut tanti vos ipsos esse credatis? gratiam
forte nobis facitis, si buc venitis, ut ea,
quæ vobis ad salutem profunt, audiatis?
at divites estis, & vestibus bolofericis in-
duti! an vero nescitis vestes has, a ver-
nibus productas, & ab hominibus, quos
barbaros vocatis, contextas? an nescitis
meretrices, latrones, sacrilegos, incestos,
& hominum perditissimos his contegi?
mittite, quæso! bunc fastum, & ad natu-
ræ humanæ humilitatem descendite! ter-
ra estis, pulvis, cinis, & fumus, & præ-
terea nihil. Multis famulis imperatis,
vestrorum affectuum mancipia! non absi-

I 5 miles

Sæculum IV. miles homini, qui domi a servis verbis
 A. C. 399. ribus affici pateretur, & foris magna suam jaclaret auctoritatem, & potentiam.

Uberes sermonum istorum fructus Constantinopoli videre erat, de die in diem tota civitas in pietate proficiebat,
 S. Chrysost. illi etiam, qui in cursus equorum, alia
 Pall. p. 48. que spectacula nimio affectu ferebantur,
 to. 5. serm. relictis Circo, & theatro in Ecclesiam se
 29. intrate in conferebant. Sermones Chrysostomi
 ang. p. 171. habemus in arte benedicendi potentissi-
 hom. 44. Az. mos, quos contra ejusmodi abusus Con-
 mor. in atta stantinopoli habuit; in illa urbe inter-
 etiam amor. lia explicavit Epistolam ad Ephesios, Epis-
 tolam ad Colossenses, Epistolam ad He-
 bræos, & Acta Apostolorum. Ter in
 septimana ad populum dicebat, factum
 que, ut non nunquam septem continua-
 Soz. VIII. diebus dicaret. Auditorum multitudi-
 c. 5. tanta confluens, ut pro convenientium
 commoditate, atque ut facilius perorans
 perciperetur, relicta Cathedra, ubi An-
 tecessores prædicare verbum Dei sole-
 bant, in medio Ecclesiæ suggestum, le-
 ctoribus destinatum, conscenderit. Non
 nullos auditores curiositas adducebat,
 plures autem numero tam Gentiles, quam
 Hæretici convertebantur.

Vir de Macedonianorum Secta dicen-
 di vi a Chrysostomo conversus, uxorem
 quoque ad Ecclesiam Catholicam redu-
 cere

cere satagebat; diu pertinacem frustra Sæculum IV.
 hortabatur, nam aliarum foeminarum A. C. 399.
 consuetudo, & exempla retinebant; tandem, cum minaretur, se eam repudiatum, promisit mulier, quod maritus volebat, & ad Ecclesiam venit; ubi tempus Communionis adfuit, Eucharistiam accepit, & caput, quasi oratura, inclinavit; non autem, ut debebat, Eucharistiam manducavit, sed, ea servata, panem, a famula rei conscientia sibi secreto datum, loco Eucharistiæ sumpsit. At quamprimum hunc panem ori intulit, lapidem sub dentibus suis factum sensit; miraculo perterrita, ad Episcopum convolavit, omnia confessa, ostendit lapillum, in quo dentium vestigia notabantur, & cuius materia, colorque ab omnibus aliis abhorrebat; facti veniam cum lacrymis rogavit, atque exinde cum Marito in pace vixit. Lapillus prodigiosus, in thesauro Ecclesiæ Constantinopolitanæ custoditus, tempore Sozomeni, qui hanc historiam narrat, conspiciebatur.

§. XLI.

Aliarum Ecclesiarum cura.

Major erat S. Joannis Chrysostomi ze- Soz. VIII.
 lus, quam ut in Ecclesiæ Constanti- c. 3.
 nopolitanæ limitibus contineretur, sed ad Theo. V.c. 98
 omnes Ecclesias extendebatur. Eccle-
 sias sex Provinciarum in Thracia, unde-
 cim